

Lectioibus tono ; — perfecta Lectione gratiæ aguntur verbis : *Laus tibi, Christe* ; — Celebrans osculatur sacrum textum, dicens : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Hæc omnia signa sunt profundæ venerationis, gaudii et gratitudinis, quam provocat Lectio Boni Nuntii.

III. Quoad formulam notari possunt præter supra dicta :

1. In initio indicatur ex qua parte Sancti Evangelii sacra Lectio erit :

Si a principio unius e quatuor Evangeliiis, dicitur : *Initium sancti Evangelii secundum N.*

Si e corpore Evangelii, dicitur : *Sequentia sancti etc.* ; hæc vox *Sequentia* non est hic singularis, sed pluralis numeri, significatque ea quæ sequuntur ex textu Evangelistæ.

2. Incipit Evangelium ab his verbis : *In illo tempore*, nimirum quo Christus Dominus vivebat in terra, aut prædicabat.

Si textus initium tempus exprimit quo narrata evenerunt, omittitur *In illo tempore* (ex. gr., in Evangelio Dominicæ IV Adventus, Festi Epiphaniæ).

NOTA. In Missis de *Requiem*, quia minor solemnitas convenit, non deferuntur lumina, neque incensum, non petitur Benedictio, omittitur osculum textus post Lectionem, et non dicitur : *Per Evangelica dicta etc.*

Q. 141. *Quænam locum habebant post Lectiones in Missa?*

R. Post Sancti Evangelii Lectionem habebatur, non tamen regulariter, Sermo ad populum, seu Homilia, seu Tractatus, unde habemus plures quas in Matutino legimus Homilias Sanctorum Patrum, inter alias Sancti Leonis Magni, Sancti Gregorii Magni.

Sermoni adjungebantur in pluribus locis variæ commendationes, necnon diversæ preces, quarum omnium usus adhuc hodie viget in Missis parochialibus et aliis ; Gallice nomen datur *Prône*, quæ vox derivatur a græca *πρόνας*, qua significatur illa templi pars, quæ ab ejus limine ad chorum protenta laicos continebat.

II. Peracto autem Sermone, « fit missa (dimissio) catechumenis », ait S. Augustinus. Formulæ dimissionis

erant : *Catechumeni recedant ; Si quis Catechumenus est, recedat ; — Catechumeni exeant foras, vel pro Pœnitentibus, aliisque : Si quis non communicat, det locum.*

Jam a sæculo VIII, defectu Catechumenorum, et mutata disciplina Catechumenatus et Pœnitentium, dimissiones regulariter fuerunt omissæ.

CAPUT VI

DE SYMBOLO

Q. 142. *Quonam Symbolo utitur Ecclesia Romana in Missa ? A quo tempore dicitur Symbolum in Missa ? Quid notandum est pro cantu Symboli ?*

R. I. In Missa utitur Ecclesia Romana Symbolo Nicæno-Constantinopolitano (annorum 325 et 381), quod a Symbolo Apostolico non discrepat, nisi quatenus uberius explicat ea quæ in Symbolo Apostolico ab Arianis de Filio, et a Macedonianis de Spiritu sancto oppugnabantur. — In versu de Spiritu sancto : « qui ex Patre Filioque procedit », additio « Filioque » facta fuit sæculo V in Hispania, unde in reliquo Occidente assumpta fuit ; a Græcis vero hæc additio numquam fuit admissa.

II. Primum in Oriente, ab initio sæculi sexti, in Missis dictum fuit Symbolum, forte ob multas in his regionibus grassantes hæreses.

In Occidente primum in Hispania, exeunte sæculo sexto, deinde sæculo octavo in Gallia et Germania assumptum fuit Symbolum tamquam pars Missæ.

In Ecclesia Romana ante nonum sæculum recitatum fuisse Symbolum constat ex diversis Ordinibus Romanis ; non tamen communiter ; et speciatim non in Missa a Summo Pontifice celebrata, nisi sæculo undecimo id factum, constat ex testimonio Bernonis, Abbatis in Reichenau ; refert hic enim, Sanctum Henricum II, Imperatorem, cum 14 Februarii 1014, die Dominica, benedictionem et coronationem Romæ acciperet a Summo Pontifice Benedicto VIII in Basilica Vaticana, animadvertisse in Missa Pontificis non fuisse

cantatum Symbolum ; certioreque factum id ideo omitti, quia nempe Romana Ecclesia non fuit aliquando hæreseos labe infecta, persuasisse Summo Pontifici, ut ad ædificationem fidelium ex toto orbe Romam adventantium, etiam Romani in publicis seu solemnibus Missis Symbolum decantarent. Ex quo ritus recitandi Symbolum ubique inductus fuit, ea ratione tamen, ut non quotidie, sed certis tantum solemnioribus diebus ac Festis diceretur.

III. Pro cantu Symboli notanda veniunt sequentia :

1^o Dum aliæ partes Missæ, ex gr., *Kyrie, Gloria, Sanctus, etc.*, non debent per integrum cantari, sed possunt alternatim alii earum versus cantari, alii tantum clara voce legi sub organi modulatione, Symbolum semper per integrum, nullo illius versu seu articulo omisso, debet omnino cantari, et numquam potest sub organo alternatim modulari. Quod sæpius declaravit, et servari mandavit S. Rituum Congregatio ; sufficiat indicare Decretum generale 22 Maji 1894 (n. 3827, ad 2).

2^o Pluries declaravit S. Rituum Congregatio, quod cantus Symboli non potest omitti, etiam infra hebdomadam, aut ob diuturnitatem Missæ ; et quod consuetudo illius cantum omittendi veluti abusus prorsus eliminanda est. (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, ad 11. antiq. 5929, ad 12.)

Q. 143. *Quenam rationes præ aliis recensentur, ob quas in Missa Symbolum certis diebus recitatur ?*

R. Generatim dici potest, Symbolum in Missa recitari ob tres rationes, nempe **Mysterii, Doctrinæ** aut **Solemnitatis**.

Q. 144. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione Mysterii ?*

R. Ratione **Mysterii** dicitur Symbolum in Missis dierum aut Festorum, quorum mentio explicite vel implicite fit in Symbolo : unde dicitur :

a) Omnibus diebus Dominicis per annum ; etiamsi in eis Missa dicatur non de Dominica, sed de Festo in quo alias Symbolum non diceretur (Rubricæ generales, Tit. XI) ; ob memoriam Creationis, Resurrectionis,

missionis Spiritus sancti, in honorem SS. Trinitatis, quæ omnia Dominica die coluntur.

b) In omnibus Festis Domini primariis, ex gr., Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, etc. ; et etiam in Festis Domini secundariis, ex gr., SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Vulnerum, etc. ; — item in Festo SS. Trinitatis, in Festo Pentecostes ; ob eorum Festorum Mysteria, quæ in Symbolo memorantur aut innuuntur.

c) In omnibus Festis B. Mariæ Virginis primariis, ex gr., Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, etc. ; et etiam in Festis ejusdem B. Mariæ V. secundariis, ex gr., Septem Dolorum, Præsentationis, de Monte Carmelo, Desponsationis, etc. ; ob partes quas ipsa in Mysteriis Christi Domini Filii sui habuit, et quia ipsa etiam cunctas hæreses interemit in universo mundo.

d) In omnibus Festis SS. Angelorum ; vel quia Angeli implicite memorantur in verbis Symboli ; *Creatorem Cœli et terræ, visibilibus omnium et invisibilibus* ; vel quia in variis Mysteriis in Symbolo enuntiatis Angeli missione divina functi sunt.

e) In Festo Omnium Sanctorum ; membra enim sunt Ecclesiæ quam in Symbolo *unam, sanctam, catholicam et apostolicam* proclamamus ; insuper Festum hoc est Omnium Sanctorum, inter quos ii etiam celebrantur, qui et in propriis suis Festis privilegium Symboli habent.

f) In Dedicatione, et Anniversario Dedicationis Ecclesiarum ; materialis enim ecclesia seu domus Dei symbolica figura est Ecclesiæ unius sanctæ, catholicæ et apostolicæ, tum militantis in terris, tum triumphantis in cœlis.

NOTA. Dicitur Symbolum in Festis supradictis, non tantum in ipsis Festis, sed etiam, quando cum Octava celebrantur, infra eorum Octavas ; etiamsi per Octavas celebrarentur Festa Sanctorum, quæ per se Symbolum non admittunt.

Q. 145. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione Doctrinæ ?*

R. Ratione **Doctrinæ** dicitur Symbolum in Missis,

tum in Festo, tum per Octavam, illorum Sanctorum, qui fidem catholicam verbo aut scripto præclare propugnauerunt et illustraverunt : quales sunt Apostoli ac Evangelistæ, et Ecclesiæ Doctores. Dicitur etiam in Festis secundariis horum Sanctorum, si celebrantur ritu duplici, non autem si sunt ritus semiduplicis aut simplicis.

Reliqui autem Sancti, etiamsi eorum Festum esset per se duplex 1 aut 2 classis, non habent privilegium Symboli ; ex. gr., S. Joannis Baptista, S. Laurentius, Martyr, S. Anna, Mater B. Mariæ V.

Una excipitur S. Maria Magdalena, in cujus Festo, 22 Julii (et per Octavam ubi cum Octava celebratur), præscribitur dicendum Symbolum ; ratio hujus datur eminens S. Mariæ Magdalenæ fides, cum ipsa omnium prima (post B. Mariam V., ut pie creditur) Christum Dominum post Resurrectionem meruit videre, et statim credidit, ac « Apostolorum apostola » discipulis nuntiavit Christum viventem et resurgentis gloriam.

Unde memoriæ juvandæ gratia dicitur : **DA** credit, **MVC** (muc) per se non credit : per **DA** intelliguntur Doctores Ecclesiæ, et Apostoli cum Evangelistis ; in **MVC** autem, **M** designat Martyres, **V** Virgines et reliquas Sanctas, **C** Confessores, etiam Pontifices.

Q. 146. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione Solemnitatis seu celebritatis ?*

R. Ratione **Solemnitatis** Symbolum dicitur :

1° In Festo et per Octavam, tum principalis Patroni cujusque loci, intra limites sui Patronatus, tum Titularis cujusque Ecclesiæ, in ipsa Ecclesia ; etiamsi Patronus aut Titularis per se, id est, qualitate, ex. gr., Angeli, aut Apostoli, aut Doctoris non gaudentes, Symboli privilegium non habeant. — Per Patronum loci hic intelligitur Patronus, aut parochiæ, aut civitatis, aut diœcesis, aut provinciæ, aut regionis, etc. ; qua de causa dicitur, ex. gr., in Festo S. Joseph, universalis Ecclesiæ Patroni. — Dicitur etiam Symbolum in eorum Festis secundariis, modo celebrentur ritu duplici. Conferantur quæ ulterius de hac Symboli præscriptione dicuntur in Q. 148.

NOTA. Non potest dici Symbolum in Festo Sancti Titularis alicujus Cappellæ, aut Altaris Ecclesiæ. (Rubricæ generales, Tit. XI.)

2° Dicitur Symbolum in Festo Sancti, cujus in illa Ecclesia in qua Missa celebratur, asservatur Reliquia insignis, modo ritu duplici Officium illius Sancti recitari permittatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 14, antiq. 2363, ad 16 ; et 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 5, antiq. 3301. ad 8.) — Quænam autem Reliquia sit insignis, indicatur in Tractatu de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus (Q. 363).

NOTA. In nostra Diœcesi celebratur quotannis, Dominica ultima mensis Octobris, Festum Sacrarum Reliquiarum, sive Sanctorum, quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur. Aliquando hoc Festum transfertur ; ex Indulto 22 Maji 1841, in diem hebdomadæ (uti factum fuit anno 1900). S. Rituum Congregatio rescripsit, quod in hoc Festo « Missa cum *Credo* celebranda est in solis Ecclesiis Diœceseos in quibus asservantur Reliquiæ insignes, in aliis vero sine *Credo*. » (Decret. 11 Martii 1871, n. 3238, antiq. 5473.)

3° Dicitur Symbolum in Missis votivis solemnibus pro re gravi (iis exceptis quæ cantantur in colore violaceo extra diem dominicam) ; et etiam in Missis votivis privilegiatis (excepta Missa pro Sponso et Sponsa), de quibus dicitur in Capite I Sectionis II.

Q. 147. *An Symbolum recitari debet in Missis quæ vocantur « Votivæ per annum » ?*

R. In Missis Votivis per annum, quæ correspondent Officii Votivis, quæ recitari possunt diebus liberis assignatis per Indultum Apostolicum et Decretum S. Rituum Congregationis, diei 5 Julii 1883 (cfr. Q. 41), etiamsi secundum regulas in superioribus Quæstionibus traditas, in omnibus Missis Festivis de Mysteriis Christi Domini, de B. Maria Virgine, de SS. Angelis, de S. Joseph, de SS. Apostolis, dici debeat Symbolum, notat Rubrica specialis his Missis præposita, in omnibus eis omittendum esse Symbolum.

Q. 148. *Resolve diversos casus qui obviam haberi pos-*

sunt, pro recitatione Symboli, in Festo et per Octavam tum Patroni loci, tum Titularis Ecclesie?

R. Prænotatur: 1° Claritatis gratia supponitur in solutione, quod Patronus loci, aut Titularis Ecclesie talis est, qui gaudet privilegio Symboli non per se, sed solummodo ob qualitatem particularem Patroni, aut Titularis; tales sunt, ex. gr., S. Martinus, Episcopus et Confessor (11 Novembris), S. Catharina, Virgo et Martyr (25 Novembris).

2° Dicitur in solutione: 1° quid sit observandum, tum in loco intra cujus limites se extendit Patronatus Patroni, tum in Ecclesia cujus Titulare Festum celebratur; — 2° ad quid teneantur Sacerdotes, tum extranei qui locum Patronatus non incolunt, sed ad celebrandum in Ecclesia loci accedunt; tum qui Ecclesie cujus Titulus celebratur, adscripti non sunt, sed in ea Missam celebrant; pro Sacerdotibus extraneis etenim hodieum usu venit regula præscripta a S. Rituum Congregatione per Decretum 9 Julii 9 Decembris 1895 (n. 3862), de conformitate Missæ cum Officio Ecclesie in qua celebratur (de qua conformitate dicitur in altera Sectione Tractatus, QQ. 383-389); — 3° quid sit observandum a Sacerdotibus, tum loci Patronatus incolis, tum Ecclesie Titularis adscriptis, quando in Festo et per Octavam Patroni, aut Titularis celebrant Missam tum extra locum Patronatus, tum extra Ecclesiam propriam.

3° Non inutile erit in memoriam revocare, quæ de celebratione Patroni loci, et Titularis Ecclesie exponuntur in Tractatu de Officio divino, QQ. 219-228.

Respondetur: I. Pro Patrono loci.

A) In Festo Patroni loci.

1° In qualicumque Ecclesia vel Oratorio totius loci, ab omnibus Sacerdotibus, tum Regularibus, tum sæcularibus, qui in loco habitant, ibique Missam celebrant, dicendum est Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, qui locum non incolunt, sed qui ad celebrandum in Ecclesia vel Oratorio loci accedunt, dicere debent Symbolum.

3° Sacerdotes loci Patronatus incolæ, qui dicunt Missam extra limites Patronatus, debent se conformare

Officio Ecclesie in qua celebrant; et si quidem ipsis liceret dicere Missam de Patrono, non possunt tamen dicere Symbolum ratione Patroni loci sui; unde Sacerdos incola loci cujus, ex. gr., S. Martinus est Patronus, celebrans Missam S. Martini in Ecclesia loci vicini, cujus S. Martinus non est Patronus, non potest dicere in Missa sui Patroni Symbolum. — Etenim S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Symbolum addere non licet in Missa quæ celebratur in aliena Ecclesia, eo quod Officium proprium Sacerdotis celebrantis id requirit. » (Cfr. Index generalis Decretorum, pag. 479, ad Articulum *Symbolum*; ibi talis determinatur sensus Decreti 3 Julii 1896, n. 3924, ad 3.)

B) Infra Octavam Patroni loci.

1° Eadem observanda est regula sicut in Festo, pro Missis celebratis intra limites loci Patronatus. — Sed animadvertendum est, quod Regulares, qui proprium suum habent Kalendarium, etsi teneantur ad celebrationem Festi Patroni loci quem incolunt, non tamen tenentur ad celebrandum hoc Festum cum Octava (cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 228); Regularium Ecclesie in loco itaque sunt pro celebratione Octavæ quasi extra limites Patronatus, et cum in eis Octava non celebretur, in ipsis etiam non est dicendum Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, a) quando se conformare debent Officio Ecclesie loci Patronatus in qua celebrant, dicere debent Symbolum.

b) Quando se non conformare debent huic Officio, quando scilicet in loco celebratur Festum semiduplex, aut dies infra Octavam Patroni: — si tunc in Ecclesia loci Patronatus dicunt Missam conformem Officio Ecclesie, dicere debent Symbolum; — si dicunt aliam Missam in qua Symbolum per se non requiritur, non dicunt Symbolum.

3° Sacerdotes loci Patronatus incolæ, qui dicunt Missam extra limites Patronatus, non dicent Symbolum, nequidem cum celebrarent Missam Officio suo conformem.

II. Pro Titulari Ecclesie.

A) In Festo Titularis Ecclesie.

1° Ab omnibus Sacerdotibus, sintne stricte adscripti vel non, qui in Ecclesia Missam celebrant, dici debet Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, ad Ecclesiam accedentes pro Missa celebranda, dicere debent Symbolum.

3° Sacerdotes huic Ecclesiae adscripti, ut parochus, vicarius, si dicunt Missam extra Ecclesiam, non possunt dicere Symbolum, nequidem cum dicerent Missam de Titulari in aliquo Oratorio in ipsa parochia sito.

B) Infra Octavam Titularis Ecclesiae.

1° Ab omnibus Sacerdotibus, Ecclesiae adscriptis et in Ecclesia celebrantibus, certo dici debet Symbolum.

Sed quid observandum est a Sacerdotibus, qui Ecclesiae stricte non adscripti, tamen regulariter in hac Ecclesia Missam celebrant, quales sunt, ex. gr., Professores, Sacerdotes emeriti, etc. ? Hucusque aliqui auctores docuerunt tales posse, sed non debere recitare Symbolum ; sed post Decretum in Prænotato 2° citatum, 9 Julii-9 Decembris 1895, idem ab ipsis observandum est quod a Sacerdotibus extraneis.

2° Sacerdotes extranei, et etiam, juxta ea quæ modo dicta fuerunt, Sacerdotes Ecclesiae non stricte adscripti, a) quando se conformare debent Officio Ecclesiae, uti in Festo duplici, dicere debent Symbolum.

b) Quando se non conformare debent, uti in Festo semiduplici, aut in die infra Octavam Titularis : — si tunc dicunt Missam conformem Officio Ecclesiae, dicere debent Symbolum ; — si dicunt aliam Missam in qua Symbolum per se non requiritur, non debent dicere Symbolum.

3° Sacerdotes Ecclesiae adscripti, dicentes Missam extra Ecclesiam, non possunt dicere Symbolum, sicuti supra dictum fuit pro die Festo Titularis.

NOTA. Suppositum fuit, sicut dicitur in Prænotato 1°, quod Patronus loci, aut Titularis Ecclesiae talis sit, qui per se non habet jus ad Symbolum ; si autem Patronus aut Titularis esset B. Maria Virgo, Angelus, Apostolus, Doctor, S. Maria Magdalena, qui per se requirunt Symbolum, in tali casu Sacerdotes incolæ loci cujus Patronus colitur, aut adscripti Ecclesiae cujus

Titulus celebratur, quando in Festo, vel per Octavam ipsis licet extra locum, vel in alia Ecclesia, de Patrono, aut Titulari Missam dicere, addere debent in Missa Patroni, aut Titularis, Symbolum.

Exemplum : Sacerdos, incola loci cujus S. Maria Magdalena est Patrona, aut adscriptus Ecclesiae cujus eadem Sancta est Titularis, si die 29 Julii, in Festo semiduplici S. Marthæ Virginis, accedit ad Ecclesiam alienam, ubi de hoc Festo semiduplici fit, poterit dicere ibi Missam, Officio suo conformem, de die Octava S. Mariæ Magdalenæ, et profecto in ea recitare debet Symbolum, ad quod hæc Sancta, non solum ut Patrona, aut Titularis, sed per se jus habet.

CAPUT VII

DE OFFERTORIO, ET QUÆ SEQUUNTUR, USQUE AD SECRETAS INCLUSIVE

Q. 149. *Quæ notari possunt de Offertorio, quod dicitur ante oblationem panis et vini ?*

R. I. « Post Symbolum, vel, si non sit dicendum, post Evangelium, dicitur : *Dominus vobiscum. Oremus* ; deinde Offertorium. » (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 1.)

Singularis est hæc populi salutatio et ad orandum invitatio, quas sequitur, non Oratio, sed recitatio seu cantus alicujus sententiæ plerumque ex Psalmis desumptæ.

Autumant quidam auctores hic haberi hiatum, et a primis sæculis dictas fuisse ad initium Missæ Fidelium preces, seu Orationes pro necessitatibus Ecclesiae ejusque membrorum, ad instar earum quæ adhuc hodie habentur in Officio Feriæ VI in Parasceve : etenim, in plerisque antiquis Liturgiis hic loci hujusmodi preces reperiuntur ; in Romana Liturgia vero, jam ante sæculum octavum, omissæ fuerunt Orationes, ast remansit salutatio et ad orandum invitatio.

Alii explicant hanc invitationem ad orandum, quasi spectaret non solum ad Offertorium quod recitatur, sed ad omnia quæ cum oblatione sequente conjunguntur usque ad Orationes Secretas inclusive.